

Deus, Fílium suum misit in similitúdinem carnis peccáti. **Ut** eos, qui sub lege erant, redímeret.

Lectio iii Cap. 66, 13-16

**Q**uomodo si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos, et in Ierúsalem consolabímmini. Vidébitis, et gaudébit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinábunt, et cognoscétur manus Dómini servis eius, et indignábitur inimícis suis. Quia ecce Dóminus in igne véniet, et quasi turbo quadrigæ eius: réddere in indignatióne furórem suum, et increpatiónem suam in flamma ignis: quia in igne Dóminus diudicábit, et in gládio suo ad omnem carnem, et multiplicabúntur interfécti a Dómino.

**R.** Virgo Israel, revértere ad civitates tuas: \* Usquequo dolens avertéris? generábis Dóminum Salvátorem, oblatiónem novam in terra: \* Ambulábunt hómines in salvatiónem. **V.** In caritate perpétua diléxi te: ideo atráxi te miserans tui. **Usquequo.** **G**lória Patri. **A**mbulábunt.

AD LAUDES

**V.** Vox clamántis in deserto:

Paráte viam Dómini. **R.** Rectas fácite sémitas eius.

**Ad Bened. ant.** Ecce, compléta sunt \* ómnia, quæ dicta sunt per Angelum de Vírgine María.

**Et dicuntur preces.**

Oratio

**E**xcita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni: et magna nobis virtúte succúrre; ut per auxiliium grátia tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret: Qui vivis et regnas.

AD VESPERAS

**V.** Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum. **R.** Aperiátur terra, et germinet Salvátorem.

**Ad Magnif. ant.** O Emmánuel, \* Rex et légifer noster, exspectatio géntium, et Salvátor eárum: veni ad salvándum nos, Dómine, Deus noster.

**Et dicuntur preces.**

*Si vigilia Nativitatis Domini venerit in dominica, Officium ordinatur hoc modo:*

*Sabbato præcedenti, ad Vesperas, omnia dicuntur ut in I Vesperis dominicæ IV Adventus; ad Matutinum dicitur unicum Nocturnum cum invitatorio de vigilia, hymno de Ordinatio Ad-*

ventus, novem antiphonis et novem psalmis de dominica tempore Adventus, versu et tribus lectionibus cum suis responsoriis de vigilia; ad Laudes et ad Horas minores fit Officium festivum de vigilia, ut in Proprio, sine commemoratione dominicæ.

Die 24 Decembris

IN VIGILIA  
NATIVITATIS DOMINI

I classis

AD MATUTINUM

**Invit.** Hódie sciétis, quia véniet Dóminus: \* Et mane vidébitis glóriam eius.

**Ps. 94** Veníte 639.

**Hymnus** Verbum super-num, **ut in Psalterio de Ordinario.**

*Antiphonæ et psalmi de feria occurrunt.*

**V.** Hódie sciétis, quia véniet Dóminus. **R.** Et mane vidébitis glóriam eius.

**Bened.** Evangélica léctio

Léctio sancti Evangélii  
secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 1, 18-21

**C**um esset desponsáta Mater Iesu María Ioseph, ántequam convenirent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Et réliqua.

Homilía

sancti Hierónymi Presbýteri

Liber 1 comment. in c. 1  
Matth.

**Q**uare non de simplici vírgine, sed de desponsáta concípitur? Primum, ut per generatióem Ioseph, origo Mariæ monstrarétur; secúndo, ne lapidarétur a Iudæis ut adultera; tertio, ut in Ægýptum fúgiens haberet solácium. Martyr Ignátius étiam quartam addidit causam, cur a desponsáta conceptus sit: Ut paratus, iniquens, eius celaretur diabolo, dum eum putat non de vírgine, sed de uxóre generátum.

**R.** Sanctificámini hódie, et estóte paráti: quia die crástina vidébitis \* Maiestátem Dei in vobis. **V.** Hódie sciétis, quia véniet Dóminus, et mane vidébitis. **Maiestátem.**

**Bened.** Divinum auxiliium.

Lectio ii

**A**ntequam convenirent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Non ab álio invénta est, nisi a Ioseph, qui pene licéntia maritali futúra uxóris ómnia nóverat. Quod autem dicitur, Antequam convenirent, non sequitur, ut pósita convénerint; sed Scrip-

túra, quod factum non sit, osténdit.

**R.** Constántes estóte, vidébitis auxiliúm Dómini super vos: Iudæa et Ierúsalem, nolíte timére: \* Cras egrediémini, et Dóminus erit vobíscum. **V.** Sanctificámini, filii Israel, et estóte paráti. **Cras.**

**Bened.** Ad societátem.

### Lectio iii

**I**oseph autem, vir eius, cum esset iustus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dímítere eam. Si quis fornicáriæ coniúngitur, unum corpus efficitur, et in lege præcéptum est, non solum reos, sed et cónsocios críminum obnoxios esse peccáti: quómodo Ioseph, cum crimen celáret uxóris, iustus scríbitur? Sed hoc testimónium Mariæ est, quod Ioseph sciens illius castitátem, et admirans quod evénerat, celat siléntio, cuius mystérium nesciébat.

**R.** Sanctificámini, filii Israel, dicit Dóminus: die enim crástina descéndet Dóminus, \* Et áuferet a vobis omnem languórem. **V.** Crástina die delébitur iniquitas terræ, et regnábit super nos Salvátor mundi. **Et.** Glória Patri. **Et.**

AD LAUDES

et per Horas

**Ant. 1** Iudæa et Ierúsalem, \* nolíte timére: cras egrediémini, et Dóminus erit vobíscum, allelúia.

**Psalmi de dominica 1 loco 705.**

**2** Hódie sciétis, \* quia véniet Dóminus: et mane vidébitis glóriam eius.

**3** Crástina die \* delébitur iniquitas terræ: et regnábit super nos Salvátor mundi.

**4** Dóminus véniet, \* occúrrite illi, dicétes: Magnum princípium, et regni eius non erit finis: Deus, Fortis, Dominátor, Princeps pacis, allelúia.

**5** Crástina erit \* vobis salus, dicit Dóminus, Deus exercítuum.

**Capit. Rom. 1, 1-3**

**P**aulus, servus Iesu Christi, vocátus Apóstolus, segregátus in Evangélium Dei, quod ante promiserat per Prophétas suos in Scriptúris sanctis de Fílio suo, qui factus est ei ex sémine David secúndum carnem.

### Hymnus

**E**n, clara vox redárguit obscura quæque, pèrsonans:

procul fugéntur sómnia: ab alto Iesus prómicat.

**Mens** iam resúrgat, tórpida non ámplius iacens humi: sidus refúlget iam novum, ut tollat omne nóxium.

**En,** Agnus ad nos míttitur laxáre gratis débitum: omnes simul cum lácrimis precémur indulgéntiam;

**Ut,** cum secúndo fúlserit, metúque mundum cínxerit, non pro reátu púniat, sed nos pius tunc próteget.

**Virtus,** honor, laus, glória Deo Patri cum Fílio, Sancto simul Paráclito, in sæculórum sæcula. Amen.

**V.** Crástina die delébitur iniquitas terræ. **R.** Et regnábit super nos Salvátor mundi.

**Ad Bened. ant.** Oriétur \* sicut sol Salvátor mundi: et descéndet in úterum Virgini, sicut imber super gramen, allelúia.

### Oratio

**D**eus, qui nos redemptiónis nostræ ánnua exspectatióne lætíficas: præsta; ut Unigénitum tuum, quem Redemptórem læti suscipimus, veniéntem quoque Iúdicem secúri videámus, Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum.

Et dicitur per Horas diei.

**Ad Horas psalmi de dominica; sed ad Primam, loco psalmi 117** Confitémini Dómino, dicitur psalmus 53 Deus, in nómine tuo. **Quod observatur in omnibus Officiis, in quibus sequens ponitur rubrica: Ad Horas psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.**

AD TERTIAM

**Capit. Rom. 1, 1-3**

**P**aulus, servus Iesu Christi, vocátus Apóstolus, segregátus in Evangélium Dei, quod ante promiserat per Prophétas suos in Scriptúris sanctis de Fílio suo, qui factus est ei ex sémine David secúndum carnem.

**R. br.** Hódie sciétis, \* quia véniet Dóminus. **Hódie. V.** Et mane vidébitis glóriam eius. **Quia.** Glória Patri. **Hódie.**

**V.** Constántes estóte. **R.** Vidébitis auxiliúm Dómini super vos.

AD SEXTAM

**Capit. Rom. 1, 4**

**Q**ui prædestinátus est Fílius Dei in virtúte secúndum spíritum sanctificatiónis, ex resurrectione mortuórum Iesu Christi, Dómini nostri.

**R. br.** Crástina die \* Delé-

bitur iniquitas terræ. Crástina die delébitur iniquitas terræ. **V.** Et regnabit super nos Salvátor mundi. Delébitur iniquitas terræ. Glória Patri. Crástina.

**V.** Crástina erit vobis salus. **R.** Dicit Dóminus, Deus exercituum.

### Oratio

**D**eus, qui nos redemptionis nostræ ánnua expectatióne lætíficas: præsta; ut Unigénitum tuum, quem Redemptórem læti suscipimus, veniéntem quoque Iúdicem secúri videámus, Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum.

### AD NONAM

**Capit.** Rom. 1, 5-6

**P**er quem accévimus grátiam, et apostolátum ad obædiéndum fidei in ómnibus géntibus pro nómine eius, in quibus estis et vos vocáti Iesu Christi, Dómini nostri.

**R. br.** Crástina \* Erit vobis salus. Crástina. **V.** Dicit Dóminus, Deus exercituum. **Erit.** Glória Patri. Crástina.

**V.** Crástina die delébitur iniquitas terræ. **R.** Et regnabit super nos Salvátor mundi.

**Post Nonam explicit tempus Adventus et incipit temp. natalicium.**



## TEMPUS NATIVITATIS DOMINI

Die 25 Decembris

## IN NATIVITATE DOMINI

I classis cum octava II classis

### AD IVESPERAS

**Ant. 1** Rex pacíficus \* magnificátus est, cuius vultum desíderat univérsa terra.

**Psalmi de dominica 727, sed loco ultimi dicitur psalmus 116** Laudáte Dóminum, omnes gentes 731.

**2** Magnificátus est \* Rex pacíficus super omnes reges univérse terræ.

**3** Compléti sunt \* dies Mariæ, ut páreret Fílium suum primogénitum.

**4** Scitóte, \* quia prope est regnum Dei: amen, dico vobis, quia non tardábit.

**5** Leváte cápita vestra: \* ecce, appropinquat redemptio vestra.

**Capit.** Tit. 3, 4-5

**A**ppáruit benignitas, et humanitas Salvatoris nostri Dei: non ex opéribus iustitiæ, quæ fécimur nos, sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit.



© www.breviariumromanum.com

## Hymnus

**I**esu, Redemptor omnium,  
quem lucis ante originem  
parem Paternæ gloriæ  
Pater supremus edidit.

**Tu** lumen, et splendor Patris,  
tu spes perennis omnium,  
intende quas fundunt preces  
tui per orbem servuli.

**Meménto**, rerum Cónditor,  
nostri quod olim corporis,  
sacrata ab alvo Virginis  
nascendo, formam sumpseris.

**Testátur** hoc præsens dies,  
currens per anni circulum,  
quod solus e sinu Patris  
mundi salus adveneris.

**Hunc** astra, tellus, æquora,  
hunc omne, quod cælo subest,

salútis Auctórem novæ  
novo salutatur cántico.

**Et** nos, beata quos sacri  
rigavit unda sanguinis,  
natalis ob diem tui  
hymni tributum solvimus.

**I**esu, tibi sit gloria,  
qui natus es de Virgine,  
cum Patre, et almo Spirítu,  
in sempiterna sæcula. Amen.

**V.** Crástina die delébitur  
iniquitas terræ. **R.** Et regnabit  
super nos Salvátor  
mundi.

**Ad Magnif. ant.** Cum ortus  
fuerit \* sol de cælo, vidébi-

tis Regem regum procedentem  
a Patre, tamquam sponsum  
de thalamo suo.

## Oratio

**C**oncède, quæsumus, omnípotens  
Deus: ut nos Unigéniti tui nova  
per carnem Nativitas liberet;  
quos sub peccati iugo vetusta  
servitus tenet. Per eundem  
Dóminum nostrum Iesum Christum.

**Completorium de dominica** 733.

## AD MATUTINUM

**Invit.** Christus natus est nobis:  
\* Veníte, adorémus.

**Ps. 94** Veníte 639.

**Hymnus** Iesu, Redemptor  
omnium, **ut supra.**

## In I Nocturno

**Ant. 1** Dóminus dixit \* ad me:  
Filius meus es tu, ego hódie  
genui te.

## Psalmus 2

**Q**uare fremuerunt gentes,  
\* et populi meditati sunt  
inania?

Astiterunt reges terræ, et principes  
convenérunt in unum \* adversus  
Dóminum, et adversus Christum  
eius.

Dirumpamus vincula eorum:  
\* et proiciamus a nobis iugum  
ipsorum.

## Psalmus 18

Qui hábitat in cælis, irridébit  
eos: \* et Dóminus subsannabit  
eos.

Tunc loquétur ad eos in ira  
sua: \* et in furóre suo conturbábit  
eos.

Ego autem constitutus sum  
Rex ab eo super Sion montem  
sanctum eius, \* prædicans  
præceptum eius.

Dóminus dixit ad me: \*  
Filius meus es tu, ego hódie  
genui te.

Póstula a me, et dabo tibi  
gentes hereditatem tuam, \*  
et possessionem tuam terminos  
terræ.

Reges eos in virga férrea, \*  
et tamquam vas figuli confringes  
eos.

Et nunc, reges, intelligite: \*  
erudimini, qui iudicatis terram.

Servíte Dómino in timóre: \*  
et exultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplinam,  
nequándo irascátur Dóminus,  
\* et pereátis de via iustitiae.

Cum exarserit in brevi ira  
eius, \* beati omnes qui confidunt  
in eo.

**Ant.** Dóminus dixit ad me:  
Filius meus es tu, ego hódie  
genui te.

**Ant. 2** Tamquam sponsus \*  
Dóminus procedens de thalamo  
suo.

**C**æli enarrant glóriam  
Dei, \* et ópera manuum  
eius annúnciat firmamentum.

Dies diéi erúctat verbum, \*  
et nox nocti índicat scientiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes,  
\* quorum non audiántur voces  
eorum.

In omnem terram exivit sonus  
eorum: \* et in fines orbis  
terræ verba eorum.

In sole pósuit tabernaculum  
suum: \* et ipse tamquam  
sponsus procedens de thalamo  
suo:

Exsultávit ut gigas ad curréndam  
viam, \* a summo cælo egressio  
eius:

Et occúrsus eius usque ad summum  
eius: \* nec est qui se abscondat  
a calore eius.

Lex Dómini immaculáta, convértens  
ánimas: \* testimónium Dómini  
fidéle, sapientiam præstans  
parvulis.

Iustitiæ Dómini rectæ, lætificántes  
corda: \* præceptum Dómini  
lucidum; illumínans óculos.

Timor Dómini sanctus, permanens  
in sæculum sæculi: \* iudicia  
Dómini vera, iustificáta in  
semetipsa.

Desiderabilia super aurum et  
lápidem pretiosum multum: \*  
et dulcióra super mel et favum.